1619

DEO OPTIMO MAXIMO UNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LUCÆ ORTHODOXORUM MEDICORUM PATRONO.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA IN SCHOLIS MEDICORUM, DIE MARTIS I. MARTII MDCCXVIII.

M. MICHAELE PEAGET, Doctore Medco, Præside.

An Arthritici, morbis acutis minùs obnoxii?

ARTHRITIS Articulorum dolor cum tumore & inflammatione, modò in hunc, modò in illum articulum erroneus. Fo variis quas occupat Articulationum sedibus varia sortitur nomina. Hâc non omnis ætas tentatur; pueros non corripit ante decimum quartum ætatis annum; neque mulieres nisi ætatis inclinatione menstrua defecerint. Adoritur potissimùm anno quinto suprà trigesimum; aliquandò citiùs, aliquandò tardiùs pro cujusque naturâ & vivendi normâ. Malum est aliàs genitivum à parentibus in sobolem trasmissum, aliàs ascititium à rerum non naturalium; duarum præcipuè abusu contractum. Differt à rheumatismo, doloribus ossæariis febres comitantibus vel subsequentibus (licet par sit doloris molestia) sed, impetu & instabilitate. Statis redit temporibus vere potissimùm & autumno, incertis nonnumquam. Sæpissimè hic morbus intrà dolorem est, & ideò securus; quod dolorum tormentis licet annumeradorum tolerantiam afferre debet. Consueta silet Arthritis aut supprimitur; suspecta debet esse hæc indolentia, quæ sæpiùs inopinantem opprimit.

ARTHRITIDIS cæcam aiunt esse causam; hæc tamen designari potest: pituitosus humor à capite non infrequenter deplus, aut serosus à sanguine exundans in articulos. Articuli nomine non solùm caput ossis quod inseritur & alterius cotyle hic intelligitur; sed & ligamenta, tendines, membranæ, & quidquid ad artici structuram & firmitatem pertinet. Ligamenta duorum sunt generum, quæ à media ossis parte ducuntur, ea sensu carent; quæ à periostio, exquisitè sentiunt. Mirum has partes Articulationes amplexantes æas, densas, compactas tam subitò dolere, cùm pituitam aut serum dolorum causam non videantur posse admittere aut saltem nisi ægrè, ob systolem suam idest compactionem; imbecillitas articuli sol: nodum atque ingressûs difficultatem, per hanc articulus aptus sit ad recipiendum; imbecillitas non nudum nomen, imbecillitatis nomine intelligenda chordarum, nervorum quædam quasi dissectio ffœminatio, & diastole seu relaxatio systolem dissolvens. Præterea humor concitatus sibi secat vias eò faciliùs, quò plus ab ichore tenui turget, qui animat, impellit, ciet & movet humorem pituitosu: Favorabili utique orgasmo, acutorum vindice & assertore.

ARTHRITIS, abscessus est humoris ab interno corpore in articulos; hâc apostasi perpurgantur interiora, sartatecta redntur, minùsque patent insultibus acutorum. Acuti brevi finiunt aut finiuntur. Finiuntur per crises, quas felices promovet Mechanismus arte dexterè adjutus. Crisium duæ sunt primæ species: alia p effluxiones, alia per abscessus; illa securior, undè videre est judicari perfectè acutos hæmorragiis, sudoribus, vomitibus, alvi fluoribus, urinæ profluviis, anacatharsi id est eductione sputorum. Crisi per abscessus terminantur quoque, sed non tantâ cum securitate; aliquandò namque semiflui sunt dimidiati; nec pares morbo judicando (*judicatoria non judicantia*) aut delitescunt. Boni tamen sunt, qui infrà morbum int, velut varices, lumborum gravitates ex supernis; optimi verò inferiores & longè infrà ventrem, & remotissimi à morbo. Hic est vivus character abscessûs Arthritici, quo Arthriticus communitur adveis acutos: nec-non acuto correptus eo liberatur renovatâ Arthritide.

VITAM, sanitatem dolori debere non levi miserum videtur, miserabilius est præpropero inopinoque fato corripi, quod congit Arthritidi assueto, si huncilla diù deseruerit. Intempestivè sedata dysenteria abscessum in costis aut visceribus facit; ei cui coxa dolebat, & deindè dolor sedatus, colico cruciatus est; alteri ulcus erat rgnum in tibiâ, hoc cùm purum factum esset, lateris dolor & pectoris sinistri è directo & febris, à febre extinctus est; à diuturnis Hæmorrhoidibus curato aqua inter cutem & tabes supervenit. Alcippus sangiem ex ano fundere solitus, curatus, insaniâ correptus est: similiter abest Arthritis, Apoplexia, Convulsiones, Viscerum inflammationes sequuntur absentem. Contrà supervenientibus Hæmorrhoidibus, iniæ solutio, renovatâ Dysenteriâ cessant mala ab hujus suppressione nata; coxendicis dolore colicus sedatur, ulcere per neoterismum reserato liberatio eorum quæ occlusum pepererat; quin & morbumagnus adauctione discutitur: ecstasi, furoris incremento mania solvitur. Non secùs furibunda redux Arthritis acutis est auxilio.

ARTHRITIS, ægrotatio quanquam fructuosa, suâ nihilominùs opus habet Medicinâ. Famosus ille Abscessus more orum dimidiatus esse potest, aut per metaptosim delitescere; sed ut id non contingat, requiritur Medici providentia, qui justo artis officio Arthriticos antè caveat, circà tempora quibus dolores podagi maximè moventur, ne exuberans materia corpori supersit: Epaphæresi, alvi ductione, vomitu, catharsi, circumcisione vini, lactis potu. In doloris impetu fas est lenire, eâ adhibita cautione, ut non sive motis, sive assumptis, arthritis supprimatur, aut opprimatur. In id innocentia sunt Cataplasmata non cum lacte, sed cum hydromelite, farinæ cum decocto Omasorum, Cassia, Fotus ex Chamæpyti; sedatervore utiles sunt unctiones ex oleo de Catellis, de Torpedine, Balsamo peruviano, vino intùs hoste, foris amico. Blandienti hoc profectu suam decurrit periodum Arthritis, nec impeditur quominùs reit ex intervallis salutari omine: sicque Arthriticorum vita ad ultimam usque senectutem prorogatur.

Ergò Arthritici, morbis acutis minùs obnoxi

Domini Doctores disputaturi.

M. Michael - Procope Couteaux.
M. Joannes - Claudius-Adrianus Helvetius, Medicus Regis Ordinarius, è Regiâ Scientiarum Academiâ.
M. Salvator Clusćard.
M. Claudius du Cerf.
M. Joannes - Baptista Enguehard, Scholarum Professor.
M. Claudius Vergne.
M. Franciscus Vernage, antiquus Facultatis Decanus.
M. Joannes-Baptista Dodard, Seren. Delphini olim Medicus Primarius, Serenissimæ Principissæ Dotariæ de Conti Medicus Primarius.
M. Philippus Douté, antiquus Facultatis Decanus.

Proponebat Parisiis MICHAEL-LUDOVICUS VERNAGE, Baccalaureus Medic Parisinus. A. R. S. H. 1718. à sextâ ad meridiem.

Typis J. QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.